



# ORATIO
HABITA IN ACADEMIA BONARUM LITERARUM HISPALENSI

A DOMINO

*MARTINO DE ULLOA*,

EIUS PRÆFECTO

PRO GRATIARUM ACTIONE,

*ET STUDIO LATINÆ*

ERUDITIONIS PROMOVENDO

*DIE XI MAI*

ANNO MDCCLXXXI.






Hispali: ex Officina Emman. Nicolai Vazquez, & Francisci Hidalgo.



TRANSACTO iam temporis spatio, quo huius perillustris Academiæ Præfectura iuxta leges nobis constitutas circumscripta est, (amplissimi Viri, & sacri Minervæ Beticæ Administri) iterum beneficentìæ vestræ collatis in id suffragiis illam mihi committendam esse placuit: & licet ego, cum me & viribus & ingenio tanto oneri subeundo imparem, & plurimis aliis negotiis ímplicatum minus aptum ad muneris istius curas, solicitudines, ac labores sustinendos iudicarem, aliquandiu illud humeris meis imponendum fuerim reluctatus, ne aut debiti erga eamdem Academiam obsequii minimè præstiti, aut ingrati animi erga vos notâ inurerer, lubens ultrò suscepi, & venerationis, & submissionis specimen daturus; eâ certe spe, atque confidentiâ ductus, & vos eà, quâ hucusque, mirâ constantiâ, indefesso studio, alacri

ani-

animo, & communi consensu muneri ipsi implendo opem præstituros esse, & veniam, si in aliquo (invitus equidem) defecero, benignè impertituros. Ne erga accepti beneficii diu immemor esse videar, vobis maximas rependere gratias statim constitui, tum pro eà, quâ me prosecuti estis humanitate, tum pro præteriti anni bene partis laboribus, quibus hanc nostram Academiam, & instituti sui implementum pro viribus sustinere curastis, mihique in id etiam incumbenti, prout muneris ratio exigebat, auxiliis vestris, consiliis, ac vigiliis suppetias tulistis.

Non equidem tanta animo adest fiducia, ut existimem debito in hoc contracto posse me pro dignitate; & pro merito satisfacere; neque enim imbecillitas ingenii, & verborum inopia aptitudinem præstant ipsi penitus exsolvendo, aut intimis affectibus satis abundéque explicandis. Hinc nil mîrum, si ad aras benevolentiæ vestræ supplex advolutus ipsam deprecer, ut gratitudinis meæ testimonium æstimet, quod operibus vadimonium

nium præstantibus firmum, verum quæ esse apparuerit, etiamsi inepto eloquio expositum exile nimis, & imbecillum videatur. Nec item, si eâdem benevolentia duce, & facem mihi præferente, mentis vestræ obtutui conspicienda, & opportunâ consideratione pensitanda ea omnia proponam, quæ ipso præterito anno excogitata, & executioni mandata fuerunt, ut Academiæ maiori stabilitati, & perpetuitati consuleretur; ut ipsius fundamentis firmius & securius stabiliendis opera impenderetur; item ut publicam lucem aspicerent ea studiorum, ac vigiliarum nostrarum præcipua monumenta, quæ digna tali honore visa fuissent, & Instituto responderent. Nec defuit constanter adhibita solicitudo, ut quisque nostrum labori se accingens vectigal debitum Reipublicæ exsolvere quotannis curaret.

Non equidem hæc omnia in optatum finem perducere licuit. Ipsi attingendo gravia obstiterunt impedimenta, quibus superandis adhibita diligentia satis esse non potuit. In quibusdam præsens obfuit rerum status; in aliis maior operum per-

fectio, quæ in publicum prodenda essent sedulò intenta, & prout opportet exquisita; in aliis denique peculiares cuiusque nostrûm curæ, & additæ ministeriis, quibus fungitur, obligationes, queis explendis tempus, & operam impendere necessum fuit. Nihilominus constans & indeficiens vestri omnium amor, cui cordi est opus hoc mente conceptum, & publico totius Hispaniæ bono, honori, atque utilitati, præcipuè autem huius nostræ inclitæ Civitatis Hispalensis natum, & felicibus auspiciis Regiæ protectionis consecratum, scientiarumque omnium studio eruditionis variæ flosculis ornando & extollendo penitus dicatum totis viribus ac nervis sustinere, ita in id intendere visus est, ut post triginta suæ primævæ originis annos, nec statutis hebdomadariis diebus Academicus concursus, nec solitæ lectiones deficerent, quibus & scopum attingere, & proposito satisfactum iri posset.

Reliquum ergo erit, ut nos operi ipsi perficiendo, atque consummando novis & validioribus conatibus incumbentes,

tes, & diligentiam & studium prout vires, & facultates suppetant, applicemus. Nec enim ignotum est; quam pateat Instituti Academici nostri longe lateque diffusa disceptatio; atque litteraria palæstra; quâ vera equidem Enciclopædia, & Scientiarum omnium disciplina comprehenditur.

Cum igitur talis, tantaque nobis ex ipsius Instituti visceribus; illud omnino implendi adsit obligatio; mihi nunc liceat vestri omnium judicio perpendendum exponere; non minimam in hoc partem sortiri Latini sermonis elegantiam; venustatemque, & puriorem aurei sæculi nitorem; vetustate quidem collapsum, & Neotericorum incuriâ summè depressum in pristinum statum reponere; & restituere. ¿ Quid enim Bonarum Litterarum Professoribus magis conveniens esse videatur, quam si Latinam Linguam in dies propere deficientem; ac in ima subsellia devolutam; sublevare, erigere, & natalibus honoribus restituere? Multæ equidem adsunt rationes, quibus hoc satis superque pos-

set

set commendari, nec vobis, nec aliis eruditione præstantibus viris incognitæ. ¿ Quid ergo memorem ipsam scientiarum omnium extitisse ianuam, quâ nobis datum illarum penetralia ingredi, & mystêriis sacris initiari? ¿ Quid toto Orbe terrarum, quo Romanorum imperium, & dominatio portendebatur, eam venerationi, & cultui habitam, communique omnium nationum, gentiumque usui consecratam? ¿ Quid ab Ecclesiâ Romanâ ad Sacrarum Scripturarum arcana custodienda, & fidelibus propinanda; cultumque Deo Optimo Maximo persolvendum fuisse præpositam, præcipuoque honore decoratam? ¿ Quid ipsam fuisse *Sapientium* cognomine insignitam, eò quod præclari ubique Scriptores tam Sacri, quam profani Latine eloqui, & suos sensus aperire, atque aliorum captui percipiendos traiicere consuevere? ¿ Quid denique ipsius concinnitatem, leporem, gravitatem, quin dicam maiestatem, quæ verè illam primævam Populi Romani totius orbis victricem redolere quodammodo videtur?

Non

Non tamen mihi silentio erit præte-reundum ipsam Latinam Linguam Hispanæ nostræ matrem, veramque nutricem extitisse, & apud antiquos Hispaniæ populos primarium locum, & honorem obtinuisse, præsertim apud Turdetanos nostros, & alios Bæticæ incolas; ut enim Strabo libro tertio testatur: ,, Turdetani, ,, maximè qui ad Bætim sunt, planè Ro-,, manos mores assumpserunt ne sermo-,, nis quidem vernaculi memores, ac ,, plerique facti sunt Latini, & Colonos ,, acceperunt Romanos; parumque abest, ,, quin omnino Romani sint facti. Hinc ergo est, quod recta ratio, debita veneratio, & honesta gratitudo à nobis exigant, ut tale ipsi obsequium, cultusque reddatur, qualis à parentibus, & maioribus nostris exhibitus esse dignoscitur.

Sed ut hæc omnia clariori luce perfundantur, faciliusque innotescant, non abs re erit, vobis equidem annuentibus, ipsius Latinæ Linguæ ortum, progressus, vicissitudines, præsentemque statum, qua possim brevitate, & ordine expedire, atque enarrare. Hæc ergo cum

ipso Populo Romano enata prima incunabula intra Urbis mœnia, & angustos tunc temporis dominationis fines sortita fuit, plurima vocabula ex finitimarum gentium dialectis sibi accomodans, Italicis nempè Hetruscâ, Tusculanâ, Lanuvinâ, Prænestinâ, Formianâ, Tarracinâ & Marsâ; itemque ex Aeolicâ, quâ Græci extrema Italiæ Orientem versus habitantes utebantur. Sed cum apud rudem tunc Populum, multosque per annos agris tantum colendis, bellicisque expeditionibus peragendis penitus intentum, scientiarumque, & artium imperitiâ laborantem versaretur, & enutrita fuisset, nil mirum ipsam parem ruditatem, & asperitatem contraxisse, indeque incultam, valde esterilem, & ieiunam fuisse existimatam; cum notum sit, idiomata iis tantum rebus explicandis efformari, quarum species in usu sint apud cives, quibus illa deserviunt.

Hujus antiquæ Romanæ elocutionis testimonia contemplari licet in vetustis Legum Duodecim Tabularum fragmentis & in aliis, quorum mentio exstat apud

M.

M. Varronem, M. Verrium Flaccum, Sex. Pompeium Festum. A. Gellium, ex antiquis, & apud Barnabam Brisonium, Dionisium & Jacobum Cothofredum, Franciscum Hotomannum, & Janum Vincentium Gravinam ex recentioribus, & ex iis unum tantum adducere lubet, quo ipsius specimem clarius queat apparere, & quô ea statuuntur, quæ in civilibus causis circa modum, tempus, & reliqua in ius vocando servanda, præscripta sunt, & his vocibus concepta.

„ Si in ius vocat atque eat.
„ Ni it, an testaminor: igitur em capito.
„ Si calvitur, pedemve struit, manum
„ endo iacito.
„ Si morbus, aevitasve vitium escit,
„ qui in ius vocabit, iumentum dato: si
„ nolet, arceram ne sternito.
„ Assiduo vindex assiduus esto: proleta-
„ rio cuique volet vindex esto.
„ Rem uti pacunt orato.
„ Ni ita pacunt: in comitio, aut in
„ foro ante meridiem causam conscito,
„ cum perorant ambo præsentes: post
„ meridiem præsenti stlitem addicito.

„ Sol

„ Sol occasus suprema tempestas esto.

Sed postquam Romanæ Reipublicæ, tot bellis feliciter gestis, maiestatem augere, imperium longè latèque diffundere, ac propagare; populos tam intra, quam extra Italiam subigere, ditionique suæ adiicere contigit, hincque Romanis civibus amplior via & occasio patuit in provincias sibi subiectas peregrinandi; civitates præsertim Græcas adeundi, Athenis commorandi, & disciplinas scientiarum, & artium ibidem florescentes in patriam traducendi, factum est, ut Lingua Romana, quæ & Latina frequentius nominatur, ipsius maiestatis particeps in maximum splendoris, puritatis, elegantiæ, copiæ, nitoris, proprietatis, & pulcritudinis fastigium eveheretur; quod circa Augusti Cæsaris tempora evenisse satis compertum est; tuncque insigniores Oratores, Historici, ac Poetæ claruerunt M. Tullius Cicero, M. Terentius Varro, C. Crispus Sallustius, M. Portius Latro, C. Julius Cæsar, Titus Livius, Cornelius Nepos, M. Vitruvius, P. Virgilius Maro, Q. Horatius Flac-

Flaccus, P. Ovidius Naso, T. Lucretius Carus, M. Terentius, C. Plautus, Catullus, Tibullus, & Propertius & alii non ignobiles.

Indepost excessum Augusti, cum & Reipublicæ libertas infringi, & Imperium bellis civilibus, atque externis vexari, & convelli, ac in peius ruere cœpisset; cum Romam colluviem quamdam gentium ac nationum ex toto orbe confluentium migrare, ibique commorari datum fuisset; quod maiori frequentia ac ratione accidisse existimandum est post Imperatoris M. Aurelii Antonini, Caracallæ vulgo dicti, indulgentiam, quâ omnes Romani orbis incolæ cives Romani effecti fuerunt; ideoque & ipsis patuit Magistratuum capessendorum; civilium ac militarium munerum gerendorum, immo & ipsius Imperii summum fastigium attingendi, & exercendi ius, consequens fuit, easdem peregrina vocabula, inflexiones, & novos loquendi modos perperam induxisse.

Accesit etiam valde imminuta ab Imperatoribus auctoritas Senatus & Populi

Ro-

Romani, ex quo defuit apud ipsos perorandi occasio, & libera dicendi consuetudo; incuria item aut inscitia Principum, aliquorum etiam nimis sæva & tyranica dominatio, & aliæ satis notæ causæ, quæ Latinam Linguam paulatim à pristino suo candore & elegantia decidere, novamque inducere formam, minus equidem decoram, coegerunt.

Nec diffiteor aliquos extitisse insignes viros, qui primis illis temporibus ipsam sustinere, & contra irruentes stultorum, ignavorum, & novatorum turbas sartam tectam tueri ac conservare conati sunt, ex quorum numero censendi sunt M. & L. Annæus Seneca, Fabius Quintilianus, L. Junius Moderatus Columella, M. Annæus Lucanus, M. Valerius Martialis, Silius Italicus Hispani, C. Cornelius Tacitus, Suetonius Tranquillus, Valerius Flaccus, P. Statius Papinius, Juvenalis, Persius, Claudianus, C. Plinius Secundus maior, & iunior, Quintus Curtius, quibus addiicere lubet Ecclesiæ Patres, ac Doctores, qui opera sua eleganti & puriori stylo tradiderunt, in qui-

quibus Ciprianus, Arnobius, Lactantius Firmianus, Ambrosius, Augustinus, Gregorius, Hieronimus, Paulus Orosius, Aurelius Prudentius, & alii nonnulli.

Sed labefactato iam Romano Imperio, & diuturnis excidii causis maximè laboranti, sub Principibus item penitus imbecillibus constituto accessit irruptio Septentrionalium Gentium, Gothorum scilicet, Wandalorum, Suevorum, Hunnorum, Francorum, Langobardorum; á quibus florentissimæ ipsius provinciæ, immo & Italia, & caput totius Orbis Roma multoties captæ, devastatæ, & maxima hominum, agrorum, urbium, ac omnium rerum strage fœdatæ, aflictæ, atque destructæ fuerunt. Hinc nova in Europâ regna emerserunt, in quæ Romanum Imperium scissum ac divisum extitit; & hæc rerum exitialis conversio maximam ipsi Latinæ Linguæ iacturam intulit, cum quisque populus illius corrumpendæ, novaque efformandæ jus sibi arrogasset: hincque ortum duxêre Hispanica nostra, quæ *Romanæ* adhuc cogno-

nomine insignitur, Gallica, & Italica cum suis profectitiis dialectis.

Omnes hi Septentrionales Populi incursionibus, ac bellicis exercitiis ut plurimum addicti, & ab studiis litterarum alieni parvam aut nullam in his conservandis, aut fovendis curam adhibuise facile est coniectari; & ex hoc emanasse principio politiores litteras ab Europâ per sæculorum aliquot spatium penitus exulasse, & ipsarum locum bellorum gerendorum rationes, feudorum consuetudines, & exercitationes corporis occupasse, queis vigor animi, roburque augeretur, & alia huiusmodi, de quibus crebra in historiis mentio reperitur.

Accessit etiam in Hispaniâ nostrâ Maurorum irruptio, & occupatio, quæ causam præstitit, ut cum ipsis diutinum bellum pro focis, & aris per fere octingentorum annorum curriculum gereretur, & nostri milites inter armorum strepitum fere semper victuri à litterarum otio maximè abessent.

Advênit tandem tempus, in quo litterarum splendor, & scientiarum ac artium cul-

cultus iterum elucesceret, & Europæ nostræ antiquus *Sapientis* honos, & cognomen redderetur, cum decimo quinto, & decimo sexto sæculis plurimi sapientissimi, & omnigenæ eruditiónis copiâ referti viri sibi hanc exornandam, illustrandamque provinciam suscepêre. Et imprimis huic operi perficiendo maximam præstitere operam Laurentius Valla, Franciscus Philelphus, Aeneas Silvius, qui Pontificatum summum adeptus Pii Secundi nomen cooptavit, Leonardus Aretinus, Hermolaus Barbarus, Angelus Politianus, Paulus Jovius, Joannes Picus Mirandulanus, Carolus Sigonius, Paulus & Aldus Manutius, Janus Parrasius & Petrus Victorius Itali; item Desiderius Erasmus Batavus, Iustus Lipsius Belga, Guilielmus Budæus Gallus, & Thomas Morus Anglus & alii nonnulli.

In Hispania nostrâ reparator, & restitutor iam fere extinctæ Latinitatis extitit eximius concivis noster Aelius Antonius Nebrissensis, vel ut eum vero ipsius nomine & cognomine exprimam, Anto-

nius

nius de Cala Jarana del Ojo, quem concivem nostrum appello, quod Nebrissa oppidum, ubi ipse ortus est, huius nobilissimæ Civitatis tum temporis vicus fuit, & iuxta Jurisconsultorum placitum ,, qui ex vico ortus est, eam patriam ,, intelligitur habere, cui Reipublicæ ,, vicus ille respondet. Hic ergo vir nunquam à nobis debitis laudum præconiis satis extollendus cum animum adiecerit, ut collato maximo beneficio civibus suis gratificaretur, Italiam adiit, & ibi decem annos commoratus, illos in evolvendis auctoribus, consumpsisse testatur, quos iam multis sæculis ab Hispania exules fuisse conquerebatur. Inde in patriam regressus incepto operi peragendo penitus accinctus (ut verbis eius utar) ,, nunquam destitit cogitare ratione quâ ,, posset tam longè latèque per omnes ,, Hispaniæ partes diffusam barbariem ,, profligare. Hoc sibi proposito fine Salmanticam petens in ipsius admodum celebri Universitate per duodecim annos duplici stipendio publico designato Latinam Linguam ingenti plausu, atque

audien-

audientium profectu edocuit ; quo factum est ut ipsius doctrina verbo & libris editis explanatâ uberrimos fructus ubique propagarit. Hinc ergo Litterarius Orbis suspexit, & admiratus est clarissimos Hispanos nostros Antonium Augustinum, Joannem Ludovicum Vives, Vincentium Marinerium, Benedictum Ariasmontanum, Franciscum Sanctium Brocensem, Ferdinandum Pincianum, Joannem Ludovicum de la Cerda, Melchiorem Canum, Dominicum Sotum, Franciscum Victoriam, Joannem Marianam, Josephum Acostam, Joannem Ginesium Sepulvedam, Alvarum Gometium, Alphonsum Garciam Matamoros, Nicolaum Antonium, Emmanuelem Martinum, & nonnullos alios, qui operibus in lucem productis ingentem eruditionis, ac ingenii palmam sunt adepti.

Mihi ergo hæc omnia enixè contemplanti, & præteritum rerum statum cum præsenti comparanti maxima animi moestitia, dolorque incessit, quod videam quâ parentum incuriâ, quâ ado-

les-

lescentium oscitantiâ, qua professorum ignaviâ, & aliquorum etiam imperitiâ Latinæ Linguæ & humaniorum Litterarum studia penitus abiecta & despectui habita, in deteriorem quotidie causam recidere deprehendantur. Scitis equidem, amplissimi Viri, quam frequenter eveniat, adolescentes vix ad hæc studia ingressos, & per unum aut duos annos iisdem operam dantes statim ad alias perdiscendas scientias convolare consuevisse; inde est, ut sermone quodam semilatino utantur, qui & barbarismis & solœcismis plenus esse dignoscitur. Immò & ipsi, qui maiori instructione præditi rectam syntaxin suæ elocutioni adhibere solent, in eum scopulum frequenter impingunt, ut in seligendis vocabulis, usuque eorum sensui antiquorum accomodando, & ín phrasibus, loquendique modis efformandis à rectâ viâ aberrare contingat, cum plerumque istos ex peculiaribus Hispanicæ Linguæ & constructionis formulis deducentes mirum sit quam dissonum, ac dissitum à veræ Latinitatis nitore sensum efficiant.

Hi

Hi omnes certe sententiæ clarissimi Granmatici Pomponii sunt ignari, quâ Tiberium Cæsarem quoddam verbum noviter inducere tentantem libere ob iurgavit inquiens. ,, Tu Cæsar,, Civita-
,, tem hominibus dare potes: verba &
,, usus Linguæ non potes.

Fateor equidem alibi etiam hoc Linguæ Latinæ & humanioribus Litteris detrimentum accidisse: de eo namque ut in sua Italia emergente olim conquestus fuerat Janus Vincentius Gravina in Epistola ad J. Gabrielem Reginerium, ubi postquam perspicuâ designatione depinxerat mala, & abusus, quos in Latino sermone obversari existimabat sic ait:
,, demum Italia bonarum quondam ar-
,, tium præsidium, arx doctrinarum,
,, fons elegantiæ nunc ampullis, inep-
,, tiis, & deliriis obruitur. Et cum ipse Auctor in alia epistola ad Emmanuelem Martinum in Latinæ Linguæ laudes maxime efferatur, non abs re erit, ut vos ita eum eloquentem audiatis. ,, Volup-
,, tas illius est tanta, quantam si Græ-
,, cam exceperis, aliarum linguarum
,, ha-

„ habet nulla. Usque adeo & ornari po-
„ test, & contrahi modo, modo laxari,
„ ac ad numerorum,& sententiarum va-
„ rietatem flecti,& verborum luminibus
„ mirisque translationibus illustrari::::
„ Mitto nunc Latini sermonis leporem
„ & veneres; mitto vocabulorum uber-
„ tatem, & significationum fœcundita-
„ tem; mitto particularum, quæ quasi
„ orationis fibræ sunt, multitudinem,
„ nexûsque facilitatem, & gratiam:
„ mitto verborum copiam iam diu ab
„ antiquissimis scriptoribus ad usum ar-
„ tium, & doctrinarum comparatio-
„ nem; mitto elegantiam; mitto ma-
„ iestatem, & in ipso verborum sono
„ imperium consulare. Et alia fusius
quæ apud ipsum reperire licebit.

Ut ergo præsenti damno, & maiori in posterum imminenti ruinæ opportunè, quantum in nobis sit, medellam adhibere possimus, ob oculos habeamus oportet illud nostri Martialis

Sint Mæcenates, deerunt non Flacce, Marones

Virgiliumque tibi vel tua rura dabunt.

Et

Et cum omnibus nobis innotescat, quanta Principis nostri Caroli III. Augustum virtutibus, beneficentiâ & affectione erga sibi subditos populos longè superantis sit scientiarum promovendarum solicitudo, & plurimis exhibitis testimoniis manifesta protectio, & quomodò per ipsas singulas evagatus Regius eius animus post adlectas in Curiam suam humaniores Musas, ibidemque munificentissimè collocatas in hoc indefessâ cura, & labore sedulus intendát, ut ipsas deficientes erigat, erectas augeat, & confirmet, omnesque pro dignitate Imperii, civium utilitate, Hispanique nominis gloria foveat, efflorescentes velit, & ardenter exoptet; reliquum est ut & nos, quibus cordi esse debet in idem collimandi desiderium, huiuscemodi vestigiis inhærentes, eaque summâ veneratione prosecuti conatus nostros etiam adiiciamus, quo maiori datum sit vigore, diligentiâ, atque constantiâ ut & exemplis, & suasionibus, & præmiis, qùæ iuxta facultates assignari queant, cæteri alliciantur, suasque operas præs-

tent

tent eidem proposito fini deservituras. Ego sane, accepto muneri satisfacturus, ad id properè, & alacriter peragendum vos hortor, obtestor, & instanter exoro; ac spem animo conceptam habeo meis votis non esse defuturos. Hoc equidem vestro consensu & consilio confirmato, ac munito, & patriæ commodis, atque honori, & Academico nostro Instituto plenius consultum iri censeo, & vos restitutæ sermonis Latini elegantiæ indeficientem palmam consequemini.

# DIXI.